

nimmò et mediò, Ecclesiastica, omnia negotia sine strepitu forensi expediebantur. Quamobrem operæ pretium me facturum puto, si pauca hic de veteri Ecclesiastica disciplina in re judiciaria pertractanda expendam; ut dein ab antiqua ad novam facilius, utiliusque progrediamur.

II. Ecclesiasticæ Potestatis depositum penes Episcopos est, quos Spiritus S. ad Ecclesiam Dei regendam constituit, et maximè penes R. Pontificem, cui præceteris datæ sunt claves. Usus Potestatis hujusce charitate, et humilitate condiendum esse demonstrat S. Petrus *Ep. I. cap. 5.* et veterrima illa Ecclesiæ praxis, qua jam indè à primis Ecclesiæ incunabulis judicia omnia Ecclesiastica ab Episcopo una cum suo Clero exercebantur: Auctor Const. *Lib. II. cap. 47.* Conc. Carthag. *IV. Can. XXIII.* Confer huc, quæ supra diximus *Lib. I. Tit. IV. de Conciliis.*

III. Jam verò antiqua in judiciis Ecclesiasticis peragendis disciplina hæc fuit. Episcopus medius inter Presbyteros consedit, veluti magistratus inter adsores: stabant Diaconi tanquam adparitores, et ministri justitiæ. Ii, inter quos lis intercedebat, vel qui de aliquo crimine accusati fuerant, coram aderant suas causas acturi. Judicium erat summarium procul ambagibus forensibus. Porrò Episcopi partes erant non modo quod justum, rectumque ipsi videretur, decernere, verum et partibus persuadere similitatem, et iram abstergere, avaritiamque, et nimiam ad terrena bona propensionem corrigere. Qua de re Episcopus jubebatur suum tribunal, sive *audientiam* diebus lunæ habere, ut partibus integra superesset hebdomada, qua conciliari possent, omnemque, si quem contraxissent, livorem deponere: et sic die dominica juxta Apostoli monitum I. ad Timoth. II. v. 8. *puras manus sine ira, et disceptatione* levarent. Auctor Constit. *ibidem.*

IV. Hæc judicia exercendi methodus obtinuit in Ecclesia ad medium usque sæculum XII. uti ex Gratiano *Caus. 15. Q. VII.* colligere datur. Si quæ graviora incidissent negotia, quibus definiendis civile presbyterium, sive Urbis Episcopalis Presbyteri satis non esse viderentur, Synodus Diœcesana ad quam omnes totius diœceseos Presbyteri, vel etiam Provincialis, ad quam omnes totius Provinciae Episcopi conveniebant, indicebatur. Confer huc, quæ diximus *Lib. I. Tit. IV. de Conciliis.*

(\*\*) V. Judiciorum forma, quæ in Hispana quondam Ecclesia viguit, à tricus quoque, ac recentis ævi circumlocutionibus immunis erat. Diaconus causam proponebat examinandam: Syn. Tolet. *IV. Can. IV.* cui si locus daretur discutiendæ, ingressi adstabant Petitor, et Reus, simul duo, aut tres, qui necessario ad judicium testes requirebantur ex Syn. Brac. *II. Can. VIII.* Proposita causa, ac concessa Petitori intentionem verbis vel productis tabulis probandi, ac Reo respondendi facultate, Canonum, et Legum Codices in medio proferebantur, ex quibus, quæ de re tunc disceptata constituta essent, legebantur: Syn. Hispal. *II. Can. II.* Non diu de partium jure secundum propositos Canones, aut Leges agebatur: Syn. Tolet. *XIII. Can. II.* ac demum ex omnium vel potioris partis consensuum suffragiis, ni aperte ex Canonibus, et Legibus prælectis justitia patefieret, sententia ferebatur: Syn. Hispal. *II. Can. II.* Prolata sententia, et Diaconi manu exarata, parti cui adsertum jus fuerat, tradebatur. Si quæ tamen in bonis, vel personis peragenda esset coactio, non Episcopi, non Presbyteri opera, non alicujus Ecclesiasticæ personæ manu, sed *Regii executoris instantia* perficienda erat: Syn. Tolet. *IV. Can. III.* Neque judicia hæc sine coacto ab Episcopo Presbyterorum collegio agebantur, de quo innumera exstant in nostris Conciliis argumenta ab Illiberit. *Can. LIII.* ab Tolet. *XVII. Can. III.* et Compostel. an. 1114. *Cap.*

XIV. Adde S. Isidor. *Lib. XVIII. Origin. Cap. 15.* Si quis se ab Episcopi sententia gravatum existimaret, ad Metropolitanæ, ab hoc ad alterius Metropolitanæ Concilium provocatio licebat; ac tandem ad Supremum Regis Tribunal: Syn. Tolet. *XIII. Can. XII. (\*)*

(\*\*) VI. Nullus tunc erat judiciis habendis statutus dies, sed omnibus hebdomadæ diebus, Dominicis exceptis, Ecclesiastica prostabant tribunalia: Syn. Tarrac. *Can. IV.* Hæc simplex, ac stricta judicandi methodus, quæ sæculo XIII. mutata fuit, in multiplices, ut ita dicamus, sollemnitates pedetentim evasit, ut ex his qui sequuntur Titulis à VII. præsertim deprehendes. (\*)

VII. Porrò sæculo XII. exeunte, et XIII. ineunte Ecclesiastica judicandi forma sensim, et sine sensu in eam immutata est, quæ modo obtinet ex jure novo, et novissimo. Hanc mutationem duabus ex causis repetit Petrus de Marca *Conc. Sac. et Imp. Lib. III. cap. 6.* Prima est, quod potestas, quam in plerisque causis judicandis Synodi provinciales obtinebant, ab Pseudo-Isidorianis Decretalibus ad unum R. Pontificem fuerit revocata: indè enim factum est, ut in Ecclesia novus Judiciorum ordo institueretur ad caussarum cognitiones in provinciis per Rescripta dirigendas. Unde tot, ac tantæ emanarunt Constitutiones *de Rescriptis, de Judicibus delegatis, de Officio Judicis Ordinarii, de Dilationibus, de Exceptionibus &c.* Hæc omnia olim, uti modo observavimus, non adeo exacte, et sollemniter exercebantur, uti recentiores Rom. Pontificum Decretales præscribunt.

VIII. Altera mutationis causa, quam adfert Petrus de Marca est, quod tum aliis ex rationibus, tum vel maximè ex iisdem ubique receptis, corruptis Isidorianis mercibus nova pluribus in capitibus Ecclesiasticæ politiæ facies oborta est. Huc faciunt beneficiorum ab Ordinationibus separatio, aliqua impedimenta matrimonii ad publicam tuendam honestatem noviter constituta, temperatus publice poenitiæ rigor, multiplices Monachorum Congregationes late per Europam diffusæ, indultæ Monasteriis, Capitulisque Canonorum ab Episcopali jurisdictione exemptiones &c. Hinc novum quoque in Ecclesia judiciorum ordinem institui oportuit.

IX. Præterea quum Canonum Collectores Ivo, Gratianus, aliique, qui post X. sæculum Canones Ecclesiasticos collegere, in suas collectiones multa ex jure civili excerpta induxissent; atque adeo ejusdem juris civilis studium ope præsertim Clericorum (qui supra omnes, utpote qui soli tunc temporis pro litteratis haberentur, eidem sedulam operam navarent) refluisset; factum hinc est, ut jus Canonicum pluribus in Capitibus Juris Civilis rationem sequi incæperit.

X. Ergo jus novum Decretalium in Judiciis persequendis sex potissimum capita complectitur: scilicet 1. Judicis personarum. 2. Personas Actoris, et Rei. 3. Curia Administros. 4. Processus instructionem. 5. Sententiam definitivam, ac 6. demum Jus Adpellationum. De singulis sigillatim agere æquum est. At primum de proprio, sive competenti Clericorum Foro, caussisque ad illud deducendis agendum nobis est.

## CAPUT QUINTUM.

### DE FORO COMPETENTI.

I. Inter quamplurimas notiones, quas *Fori* vocabulo veteres adfixerunt, præcipua quidem ea est, qua Tribunal, sive locus ille designatur, ubi adsidentibus magistratibus, judicia exerceat, cum populo agi, concionesque haberi solent: Var-



ro de Ling. Lat. Lib. IV. Unde etiam factum, ut pro ipso iudicio passim in utroque jure acciperetur. Porro Forum *Competens* idem est, ac Forum proprium, scilicet, et ubi Judici convenit suam exercere auctoritatem, et in quo reus conveniendus est; qua notione dici quoque consuevit *Judex competens*: Leg. XIX. Dig. de Jurisd. et *Competens Tribunal*: Leg. XXXV. §. 2. Dig. de Procur. Huc faciunt in primis probati in utroque jure Canones: *Actor sequitur Forum Rei*: Cap. 5. et 6. hoc Tit. Leg. III. Cod. Ubi in rem actio. *Reus in iudicium venit invitus*: Leg. LXXXIII. §. 1. Dig. de Verb. obligat. (1)

II. Clericos omnes æque superiores, atque inferiores in omnibus fere causis civilibus, criminalibusque Foro Episcopali ita subesse, ut ad laicum tribunal eos vocare, aut trahere omnino vetitum sit, jus est exploratissimum. Quin et prima duntaxat tonsura initiati ex legibus etiam, moribusque Regni Neap. ab fori sæcularis potestate immunes habentur; quamdiu tamen in statu clericali, et officio permanserint: Ferdin. I. in *Pragm. 4. de Cleric. et Diaconis Selvatis*: quam postea Carolus V. innovavit.

III. Jure Trident. *Sess. XXIII. Ref. cap. 6.* novissima Concordatorum Lege firmato inter Clericos inferiores beneficiarios, aliosque titulo patrimonii in sortem Domini mancipatos illud agnoscendum discrimen, scilicet, ut hi fori privilegio non fruuntur nisi clericalem habitum, et tonsuram deferentes, alicui Ecclesie ex Episcopi mandato ministerium exhibeant; idque litteris Episcopalibus quotannis à Curia obtinendis demonstrent: at illi licet Ecclesie ministerium, habitumque clericalem deserant, exemptionis tamen prærogativa non destituantur, nisi vel ultro beneficium dimittant, vel eo Episcopi sententia, ob aliquod crimen exspolientur: Atqui Regio Rescripto an. 1760. die 6. Septembris utrorumque Clericorum conditio æquata est; nimirum ut nisi habitum, tonsuramque clericalem deferant, ac simul actualem Ecclesie famulatum litteris Episcopalibus probent, fori immunitate destituantur: Gagliardus *Inst. Can. Lib. III. Tit. V. n. 20.*

(\*\*) IV. In nostro verò Hispaniarum Regno ab sæculari jurisdictione immunes censentur hujusmodi Clerici, dummodo præscriptas Tridentino *eadem Sess. XXIII. Ref. cap. 6.* conditiones impleant; videlicet ut beneficium Ecclesiasticum obtineant, vel cuidam Ecclesie ex Episcopi mandato inserviant, vel in Seminario, Schola, aut Universitate de licentia Episcopi versentur, simulque cum qualibet ex præfatis conditionibus clericalem habitum, et tonsuram deferant. Et quantum ad clericalem habitum, declaratum est quod ex Constit. Pii IV. ea vestimenti forma utantur, qua Presbyteri uti solent, eoque una cum Tonsura, sex saltem ante criminis perpetrationem mensibus induti incesserint: *Leg. I. Tit. IV. Lib. I. Nov. Recop.* Quin ad cavendas quas delinquentes excogitare solent fraudes, aliæ etiam additæ sunt conditiones ab iis observandæ, qui Fori privilegio ex constitutis à Tridentino regulis potiri velint, quæ sub *Instructionis* nomine adjectæ sunt ad calcem *ejusd. Tit. IV. Lib. I.*

1. Quod ministerium, quod Clericus Ecclesie impendit sit re ipsa tale, perenne, et necessarium, atque ab Episcopo præscriptum.

2. In studium litterarum de licentia Episcopi conveniat, ibique eam disciplinis operam navet, qua prudenter colligi possit, se sacris ordinibus suscipiendis intendere.

3. Tum utraque hæc licentia non verbis sed litteris exarata concedatur ab

(1) *L. 32, tit. 2, Part. 3.* docet actori sequi rei forum et quibus modis potest quis forum sortiri.

Episcopo cum Notarii subscriptione: exprimitur etiam necesse est Ecclesia, cui Clericus adscribendus est, et ministerium cui deputandus: aut Schola ad quam confertur, et sibi addiscenda scientia, ætas quoque et personæ qualitas; tum etiam nomen, et patria, adsignato denique die, mense, et anno licentiæ expeditionis.

4. Adhæc Judici sæculari territorii in quo Clericus, aut Scholaris commoratur, hæc licentia exhibenda, ut in Codice ad id deputato transcribatur, atque insuper Clerico in eadem licentia, vel titulo fides præsentationis adponatur.

5. Demum delinquente Clerico, et in sæcularis Justitiæ potestatem detento, ante latas à Judice Ecclesiastico censuras, tenetur Episcopi licentiam una cum iudicis laici testimonio, vel Beneficii titulum producere. Tum et requiritur, quod Parochi, et duo testes jurejurando adseverent, Clericum revera Ecclesie inservire, aut Magistri et duo studentes, Scholarem illum reapse litteris incubuisse. (\*)

V. De Clerico, qui in cœlibatu vivens habitum, officiumque clericale deserat, illud hic quæri potest, num scilicet, dum fori exemptione privatur, reliquis etiam exspolietur Clericorum privilegiis? Porro licet non una sit hac in re Canonistarum opinio, standum tamen omnino sententiæ Benedicti XIV. *De Synod. Dioces. Lib. VII. cap. 66. n. 2.* censentis, fori amissionem, ceu odiosam, ut ajunt, ad reliqua clericalis ordinis privilegia neutiquam extendendam.

VI. Non abs re hic quoque erit disquirere, in quonam foro conveniendus sit Clericus is, qui abjecerit prius habitum, cœtumque clericalem ad quem postea redeat: atque vel ante Clericatum, vel in Clericatu quidem, at eo abjecto, aliquid egerit propter quod ad tribunal deferendus sit? Jam verò Clericus iste ad Ecclesiasticum omnino tribunal trahendus est, si res adhuc sit integra: quod jure civili etiam conforme est: *Leg. XXXII. §. 4. Dig. de Recept. qui arbit. recep.* Sin autem antequam vel ad Clericatum accederet, vel ad Clericatum rediret, ad laicum tribunal jam fuerit evocatus, tum certe ex saniori Canonistarum sententiâ distinguatur oportet personalem inter, et realem immunitatem; scilicet, ut quantum ad personam sit immunis, haud verò quantum ad bona: Gagliardus *ibid.*

## ARTICULUS I.

## DE CLERICIS CONJUGATIS.

VII. Quod ad Clericos conjugatos attinet, qui unicam, et virginem duxerint, in habitu clericali incedant, et de mandato Episcopi, alicui Ecclesie ministrent; hos sane in causis duntaxat criminalibus fori privilegio potiri sanxerunt Bonifacius VIII. *Cap. 1. de Cler. Conjug. in VI. (\*\*)* cui consonant Syn. Tolet. an. 1323. *Cap. VIII.* Palent. an. 1388. *Cap. III.* et Aranden. an. 1473. *Cap. XIV. (\*)* et Trident. *Sess. XXIII. Ref. cap. 6.* Reges Neap. apud Chioccar. *Tom. X. Archiv. n. 3.* atque etiam novissimum Concordatum *Cap. III. art. 2.* At verò in causis civilibus, atque adeo ex ejusdem Concordati præscripto *ibid.* etiam in criminalibus, quæ civiliter agantur foro laico subiciuntur; nec ab exercendis tam realibus, quam personalibus laicorum muneribus sunt immunes. (\*\*). Hispaniarum quoque legibus Clerici conjugati in causis criminalibus fori privilegio perfruuntur; in civilibus verò tanquam mere laici habentur: *Leg. XLIX. Tit. VI. Part. I. et Leg. II. Tit. IV. Nov. Recop. (\*)*



## ARTICULUS II.

DE CLERICIS, DIACONISVE SIC DICTIS SELVATICIS.

VIII. Restant adhuc Clerici, sive Diaconi sic dicti *Selvatici*: ii scilicet, qui nullo ordine decorati, atque adeo neque tonsura initiati vestem clericalem induentes alicui Ecclesiae inserviunt. Quam immunitatem ipsis dabimus? Nullam sane. Nemo enim non videt, eos falsos esse Clericos, ac proinde cum in civilibus, tum in criminalibus sæculari foro ipsis parendum esse: Ferdinandus I. Pragm. 4. *De Cler. et Diacon. Selvat.* Id quod novissimum Concordatum *Cap. I. art. ult.* et *Cap. III. art. 10.* non firmavit modo, verum et ad Eremitas extendit, licet hi ex Episcopi venia alicui suburbanæ, vel campestri Ecclesiae inserviant; tum et ad Moniales domesticas, vulgò *Bizochas*, et quidem ex antiqua Regni consuetudine, quod ad Eremitas olim controversa, at quod ad *Bizochas* jamdiu ubique recepta.

## ARTICULUS III.

DE CONVERSIS, ALIISQUE ID GENUS MONACHIS LAICIS.

IX. Conversos, Oblatos, sive Donatos, Tertiarios, aliosque id genus Monachos laicos, dummodo monasterium, aliumve religiosum domicilium cum reliquis fratribus incolentes legitimè pareant Superiori, regularemque habitum gestent, fori prærogativa haud carere Jure Neap. atque etiam argumento ex novissimo Concordato *Cap. III. art. 1.* satis superque probatum est. (\*\*). Id quod decrevit Alphonsus Sapiens *Leg. II. Tit. VII. Partit. III.* ceteri verò sive Tertiarii, sive Eremitæ, licet religiosæ vitæ, addicti nulla gaudent immunitate. (\*)

## ARTICULUS IV.

DE OFICIALIBUS CURIE EPISCOPALIS, ALIISQUE EPISCOPORUM DOMESTICIS, ET FAMULIS.

X. Curiae Episcopalis administri, tum et Episcoporum Domestici, et Familiares, quidquid hoc de capite olim inter Canonistas disputatum sit, ex ejusdem Concordati præscripto fori exemptione non perfruuntur; exceptis dumtaxat Cancellario, sive Actorum Magistro, paucisque Cursoribus, singulis Regni Episcopis, Prælatisque numero adsignatis, qui dummodo suum munus actu exerceant, quantum ad personalem tantummodo distractionem in causis civilibus, criminalibus levioribus, et mixtis, à foro laico exempti sunt.

(\*\*) XI. Episcoporum domesticos, et familiares, ea solùm ratione, quod ipsorum commensales sint, non est cur à sæculari jurisdictione exemptos credamus; præsertim quum ita declaratum sit à Ferdinando et Elisabetha in *Ordin. Vallis-olet. Lib. III. Tit. X.* et in *Granat. Tit. VII. Sanct. IV. Nidesis Remiss. 27. ad Tit. III. Lib. I. Nov. Recop.* Sanctæ Inquisitionis Ministri, qui *jurati* dicuntur tam in activo, quam in passivo, et in civilibus, et in criminalibus ipsius Inquisitionis Tribunali subjiuntur ex pluribus Sedis Apostolicæ indultiis. Familiares in civilibus foro laico parent: *Leg. XVIII. §. 4. Tit. I. Lib. IV. Nov. Recop.* in criminalibus verò, ipsius Inquisitionis Tribunali §. 6. *ejusdem*; exceptis criminibus læsæ Majestatis humanæ, Sodomie, Sublevatione, Apertione litterarum Regis, Rebellionem, Inobedientiam Regiis mandatis, Proditionem, Raptum, aut violationem fæ-

minæ, Publici latronis, Infractio domus, Ecclesiae, aut Monasterii, Dolosa domus, aut agri combustionem, et his atrocioribus delictis: obsistentia iidem et respectu Regiæ justitiæ §. 5. *eod.* exceptis quoque Familiaribus, qui Officia simul publica obtinent, si in iis officiis deliquerint: §. 6. *ibid.* Denique Episcopalis Curiae Administris, et Ecclesiarum famulis ad mechanica exercitia deputatis Ecclesiastici fori privilegium neque Commune, neque Hispanum jus unquam indulsit. (\*)

## ARTICULUS V.

ATROCIORA QUEDAM CRIMINA CLERICOS FORO SECULARI SUBJICIUNT.

XII. Igitur jure æque communi, ac Neapolitano Personæ Ecclesiasticæ in causis civilibus, criminalibus, et mixtis ab laici Tribunalis potestate exemptæ sunt. Quinimmo quum Willelmus Malus *Const.* Si quis Clericus *Tit. LXIX.* et Fridericus II. *Const.* de Burgensaticis *Tit. LXX.* causas hæreditatum, et profanas patrimoniales ab ea immunitatis prærogativa excepissent; attamen utrasque dein ejusmodi sanctiones abrogarunt Reges Andegavenses. Porro hætenus constituta Clericorum exemptio quasdam patitur limitationes, cum in civilibus, tum in criminalibus.

XIII. Et quidem crimina quod spectat: 1. Clericus etiam in sacris constitutus, ubi habitum exuat clericalem, et tamquam è laicorum cætu incedens, ter ab Episcopo monitus ad bonam frugem non redeat, atque adeo incorrigibilis ex Episcopi sententia declaretur, Civili Potestati debitas luet pœnas: *Cap. 25. et 45. de Sentent. Excomm. (\*\*)* et *Leg. LVII. Tit. VI. Partit. I. (\*)*

2. Clericus Assassinus, sive mandans fuerit, sive mandatarius, ejusque fautores, (\*\*), quamvis mors sequuta non fuerit, aut assassinum receptans, defendens, vel occultans, (\*) ubi satis jam de crimine constituerit, non modo in Judicis laici potestatem rediguntur, verum et, ut legitimas subeant pœnas, nulla vel depositionis, vel degradationis sententia, aut sollemnitate opus erit: Concil. Lugd. *Cap. I. de Homicid. in VI. (\*\*)* At verò Clericus tale committens scelus, non statim, seu ipso, ut ajunt, *facto* ab omnibus dignitatis, honoris, ordinis, officii, et Beneficii juribus exspoliabitur; sed postquam à Judice Ecclesiastico in assassinatum incursus declaretur: Clemens VIII. *Const. die 18. Decemb. an. 1595. (\*) (1)*

Ast. 3. quia non semel Clerici à calumniatoribus assassinii nomine immerito accusabantur, eapropter novissima Concordatorum lege provide cautum est, ut (ne fraudi amplius pateret aditus) quoties Clerici capturam Judex laicus prævenit, eum in laicis carceribus detinebit quidem, at statim processum instituet, quem intra quatuor menses Tribunali Mixto omninò exhibebit, cujus definitionem expectabit, priusquam sententiam pronuntiet: *Cap. III. artic. 3.*

(\*\*) 4. Clericus, qui occultas conspirationes contra Regem, vel Reipublicæ statum confans, turbas excitat, dignitate, loco, et honore privatus Regiæ potestatis judicio subjacet: *Syn. Tolét. X. Can. II. et Leg. III. Tit. IV. Lib. VIII. Nov. Recop.*

5. Clericus maledictis Regis famam lædere non perhorrescens, à Judice Ecclesiastico detentus, ad sæcularem judicem remittendus est: *Leg. III. Tit. IV. Lib. VIII. Nov. Recop.*

(1) Conc. Trid. in ses. 13, cap. 4. de reform. non distinguit; videtur ergo nec nos distinguere debemus et obsistimus auctoris doctrinæ ope legis 51, tit. 6, part. 1. quam firmat schœdula regia die 14. Octob. 1796.



6. Clerici aurum, vel argentum de Hispaniarum Regni limitibus extrahentes, iisdem quibus laici pœnis subjiciuntur: *Leg. I. Tit. XVIII. Lib. VI. Nov. Recop.* Et falsam eudentes monetam, degradati, Curiā sæculari tradendi sunt: Urbanus VIII. *Ibid.* Novembr. an. 1627.

7. Joculatorum, aut Gesticulatorum, artem Clerici per annum exercentes, ipso jure, si breviori tempore tertio moniti, ab ejusmodi exercitiis, non se diverterint, omni privilegio Ecclesiastico privantur: *Cap. unic. de Vita, et honest. Cleric. in VI.*

8. Litteras, aut sigillum Summi Pontificis, vel Regis Clericus infringens, degradandus, et Tribunali laico tradendus est: *Leg. LX. Tit. VI. Partit. I.*

9. Clericus injuriis impetens suum Episcopum, aut si in ipsum conspiraverit, degradandus, et Curiā sæcularis potestati subjiciendus est: *Can. XVIII. Cariss.*

11. *Quest. I. et Leg. IX. Tit. VI. Partit. I.*

10. Clericus ob execrabile facinus depositus si incorrigibilis permaneat, laico Tribunali puniendus mittitur: *Can. XX. Caus. 11. Q. I. et Leg. LXI. ejusd. Partit.*

11. Propter nefandum scelus degradandus est Clericus, et Judici sæculari tradendus: Pius V. an. 1568. et *Leg. I. Tit. XXI. Lib. VIII. Nov. Recop.*

12. Apostata habitu Ecclesiastico deposito comprehendi à Judice sæculari, et ab ipso puniri potest: *Cap. 1. de Apostat.*

13. Clericus etsi condiciones à Tridentina Synodo præscriptas adimpleat, si Beneficium Ecclesiasticum non obtinet, et Clericus etiam in Minoribus, qui nec Beneficium Ecclesiasticum habet, nec constitutus ab ead. Synodo condiciones observat, propter iteratum homicidium Judici laico subjicitur: Clémens XII. Bulla in Hispania missa 14. Novembr. an. 1737. §. 3.

14. Postremo Clericus in ludis Regni legibus vetitis à Judice sæculari deprehensus, quantum ad pecuniariam pœnam ipsi subjicitur; posteaquæ competens testimonium ad suum Episcopum transmitti debet, ut pœnas canonicas luat: Ex Pragm. Caroli III. an. 1771. *Leg. XVIII. §. 14. Tit. VII. Lib. VIII. Nov. Recop. (\*)*

#### ARTICULUS VI.

DE CAUSSIS CIVILIBUS, QUARUM INTÉR CLERICI FORO LAICO PARENT.

XIV. Plures quoque sunt causæ civiles, ex quibus Clerici in Curiā sæcularis potestatem rediguntur. Ac primo pro rebus judicio sæculari adfectis Foro laico 1. causæ Feudales reservatæ sunt: idque tum jure communi: *Cap. 6. et 7. de Foro competenti*, et *Cap. unic. §. Verùm de statu Regularium in VI.* tum quoque jure Neap. Bulla Investituræ Caroli I. *Capit. Caroli II. art. 3. et 13. et Pragm. 3. 36. et 37. Tit. de Officio Sac. Reg. Consilii*; (\*\*\*) tum denique jure Hispano *Leg. LVII. Tit. VI. Partit. I.* Quinimmo eis Judicem Ecclesiasticum adire interdicitur sub pœna amissionis Feudi, vel Gratiā: *Leg. IV. Tit. IV. Lib. I. et Leg. VI. Tit. I. Lib. IV. Nov. Recop. (\*)*

2. Usu etiam, moribusque receptum est, ut bona quævis temporalia Clericorum defunctorum jacentia, ut ajunt, scilicet ubi de legitimo successore nondum constituit, Regiā potestati sint penitus obnoxia.

3. Adhæc quæstiones quælibet controversas hæreditates spectantes, etiam si competitors sint Clerici, sæculari tamen foro discutiendæ, ac definiendæ relinquuntur.

4. Uti quoque pro exsolvendis Clerici defuncti vel legatis, vel ære alieno laici Judicis sententiæ parendum est. Quæ de re in expediendis Decretis vulgò dictis *Præambulorum*, et *spectare spectavisse* à Judice laico clausula adponi solet: *Salvo jure cujuslibet in judicio tam universali, quam particulari.* Hoc juri etiam civili conforme est: *Leg. unic. Cod. ubi de Hæred. agatur*, et *Leg. XCVI. Dig. de Legat. et Fideicom. (1)*

(\*\*) 5. Quum laicus adversum laicum agat ad vindicandam rem, quam Clericus vendiderit, tunc evictionis nomine tenetur hic coram Judice sæculari comparere: *Leg. LVII. Tit. VI. Partit. I.*

6. Tandem Clericus laici hæres institutus in Tribunali Regio sistere debet, ad aperiendum, et publicandum testamentum: *Leg. XV. Tit. IV. Lib. V. Nov. Recop. (\*)*

XV. Num Clericus ratione Tutelæ, Curæ, alteriusve sæcularis muneris in Ecclesiastico, an verò in laico foro conveniendus sit? diu concertatum inter Doctores, et adhuc sub judice lis est. Porro verisimilior eorum opinio videtur, qui contendunt ejusmodi Clericum pro rationibus subducendis foro laico subjectum; ad solutionem postea, si ibi debitor adparuerit, à Judice Ecclesiastico compellendum. Jure Neap. vetantur Clerici tutelam, curam, depositum, administrationem, aliudve simile munus suscipere, nisi prius idoneam laici fidejussoris cautionem præstiterint, quem suo in foro judex laicus ad calculos compellet, et quidem dimissa Clerici persona: Gagliardus *ibid. Tit. VI. §. 5. (\*\*)* Videsis Doctores nostros Salgado *de Regia Protectione Part. IV. cap. 14. Vela Dissert. XLIII. et XLIV. Escobar de Ratiocin. Cap. VII. a n. 9.* Imò vetantur Clerici ullam nisi legitimam tutelam suscipere: *Can. XXVI. Dist. 86. id quod etiam jure Hispano cautum est: Leg. XLV. Tit. VI. Partit. I. et Leg. XIV. Tit. XVI. Part. VI. (\*)*

XVI. Eodem nomine Clerici, qui res vel alienari prohibitas emerint, vel regis tributis obnoxias, vulgò *controbandi*, adsportaverint, in reali dumtaxat actione foro laico subjecti sunt. Id quod et jus Decretalium videtur permittere: *Cap. 1. de Alienat. Judicii &c.* et Regni Neap. decernunt Constitutiones: *Consil. unic. Tit. XLV. cap. Conventus inter Capitula Caroli II. et Prag. 6. de Cler. et Diacon. Selvat.* ac demum novissimum firmavit Concordatum: *Cap. III. art. 4. (\*\*)* Apostolicæ Sedis Nuntius in Hispan. Regnis Henricus Henriquez id quoque ratum habendum duxit in suis litteris die 6. Maii an. 1749. (\*) Idem quoque juris obtinet quantum ad refectionem damnorum, quæ Clericorum pecora, aliave noxia animalia cuius intulerint: (\*\*\*) ita expresse cautum est in *Leg. XII. Tit. III. Lib. I. Nov. Recop. (\*)*

XVII. Alter titulus, quo Clerici Potestati parent sæculari, est Ratio cepti judicii. Quamobrem si quis adhuc in sæculo manens, litem in foro inchoarit, eaque non peracta, Ordinibus initiatur, eam in eodem foro, reali dumtaxat actione, ad exitum usque cogitur persequi; quod cum utroque jure amice conjurat: *Leg. VII. Dig. de Judiciis. Leg. IX. Dig. de Jurid. omn. judic. et Cap. 19. de Foro compet. Lis quoque cum defuncto laico incepta, cujus hæres Clericus sit, in sæculari foro prosequenda, neque hæredis clericatus illam ad Ecclesiasticum tribunal devolvat: DD. apud Gagliardum *ibid. §. 10. (\*\*)* expresse autem Alphonsus Sapiens *præf. Leg. LVII. (\*)**

XVIII. Tertius verò titulus est, ratio reconventionis: quum scilicet Clericus actoris personam agens, aliquem quomodolibet ad laicale forum trahit, ipse in eo-

(1) Vide notam primam in hunc tractatum.



dem foro reconveniri rectè poterit: uti si Clericus à laico per sæcularem Judicem, quod illi mutuo dedit, expetat; etiam laicus solum æs, si illi crediderit, in eodem foro jure reposcet: *Cap. 1. et 2. de Mutuis petition. (\*\*)* et *Leg. LVII. ibid. (\*)* Excipiendæ tamen causæ omnes criminales, spirituales, æque omnes, in quibus Clericus nomine Ecclesiæ in laicum judicium intenderit, in quo ipsum pro suis rationibus reconvenire nemo quiverit. Eodem reconventionis intuitu Clericum auctorem in judicio succumbentem ad illata reo damna rescindenda judex laicus jure damnabit.

XIX. Sequitur quartus titulus, scilicet jus *Congruæ*, ut ajunt, sive *Retractus*; hoc est ubi Clericus prædium emat in fraudem vicinorum, qui in ea emtione jus habet *Retractus*. Olim neque à laico adversus Clericum, neque à Clerico adversus laicum hujusmodi juris actio intendi poterat: at ex novissimo Regio Rescripto ad Reg. Cam. S. Claræ dato die 17. Martii a. n. 1762. laicorum, Clericorumque hoc in capite conditio æquata est: statumque Clericos, æque ac laicos juri *Retractus* subjectos esse, atque in Curiis laicalibus omnes ejusmodi quæstiones expediendas esse. Id quod de Clericis intelligendum est, haud verò de Ecclesiis, quæ, æque ac via publica, et Fiscus, nec agere, nec conveniri possunt jure *Retractus*: *Constit. Sancimus, Tit. de Jure Protimeseos. (\*\*)* Apud Hispanos jus *Retractus*, est jus concessum consanguineis intra quartum gradum consistentibus, repetendi prædium, ab ejus ascendente cuius extraneo venditum, infra novem à venditione dies, servata tamen inter eos gradus prærogativa, ut semper proximior præferatur; quod jus in bonis solummodo, quæ vulgò *de Patrimonio, et Abolengo* nominantur locum habere potest. Sane de hac re nihil nostris Legibus constitutum invenimus; videtur tamen de hoc Clericum conveniri, et convenire debere apud Judicem sæcularem: argum. *Leg. LVII. Tit. VI. Partit. I. (\*)*

XX. Ultimus denique titulus est Jus Principum arcendi violentiis à civium possessionibus. Quæ de re civi, qui vim in possessione vel passus est, vel ei imminere formidat, regium præsidium non denegatur adversus quoscunque sive laicos, sive Clericos, et quidem ex beneficio V. Capitularum Regni. Verùm laico nefas est ejusmodi uti præsidio, ubi vel absque vi possessione exciderit, vel dubia sit possessio, vel denique pateat illegitimi possessoris injustitia: his enim casibus judicium jure ordinario in foro Episcopali instituendum est: Regens de Ponte in *Tract. Ms. De Regni Capitulis*, aliique apud Gagliardum *ibid. n. 18.*

(\*\*) XXI. Hic sane titulus Supremæ Regum potestati adhærens, scilicet amovendi violentiis, et oppresiones à civium personis, et possessionibus, qui et ab ipsa videtur naturali lege procedere, in debito illo, quod Imperatores Christianos ad Ecclesiam tuendam constringit, fundatur: *Principes enim sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. . . . et sæpe per Regnum terrenum cæleste Regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra Fidem, et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur.* Isidorus *Can. XX. Caus. 23. Q. V.* Injurie quidem, si quæ à Judice Ecclesiastico subditis irrogentur à nullo nisi à Patre patriæ repelli, aut reparari possunt. (\*)

(\*\*) XXII. Hanc Regum protectionem necessariam duxerunt Hispaniarum Patres, quippe qui nedum non improbarunt, sed et ratam voluerunt consistere consuetudinem, quod Clericus vel prægravatus, vel inauditus à proprio, vel ab alterius provincie Metropolitano ad Regios auditis negotia sua perlaturus accederet. *Syn. Tolet. XIII. Can. XII.* Quocirca non immerito Alphonsus Sapiens dixit Regem constitutum esse ad repellendas subditorum oppresiones: *Leg. V. Tit. I.*

*Lib. II. Ordinam. Reg. ac Philippus II. Leg. II. Tit. VI. Lib. I. Novæ Recop.* ejusmodi Protectionis jus antiqua consuetudine, et Carolus V. *Leg. XXXVI. Tit. V. Lib. II. Novæ Recopilat.* immemorabili consuetudine confirmatum esse. (\*)

(\*\*) XXIII. Tres sunt casus, in quibus cives violentiam pati possunt à Judice Ecclesiastico; scilicet *in cognoscendo, et procedendo, in modo cognoscendi, et procedendi, et in denegando adpellationem*, qui quidem recensentur *Sanct. IV. cap. 2. Tit. I. Lib. IV. vulgò Autos Acordados.* Quamobrem I. Clericus existimans se à Judice Ecclesiastico oppressum, ad Tribunal Auditorum Provincie in qua passus est injuriam, accedere debet: *Leg. XXXIX. Tit. V. Lib. II. Novæ Recop.* à quo Processus originales Judici Ecclesiastico exiguntur, quibus inspectis, violentia removetur, si adfuerit; si verò eam non interfuisse deprehendatur, ad eundem Ecclesiasticum judicem Processus restituuntur, damnato in expensis petitore: *Leg. XXXVI. Tit. V. Lib. II. Novæ Recop.*

2. Recursus Visitationis utriusque sexus Regularium, in Regio Castellæ Senatu discutiuntur: *Leg. XL. ibid.*

3. Recursus, qui in jure Protectorio, et in executione Concilii Tridentini fundantur, et recursus quoque à violentiis Judici Conservatorum, in eodem Supr. Castell. Senatu cognoscuntur: *Leg. LXXXI. ibid. et Leg. VIII. Tit. V. Lib. I. Novæ Recop.*

4. In causis de Episcoporum spoliis, violentiæ recursus in Prima Gubernii Aula Supr. Castell. Senat. dirimuntur: *Sanct. XXIII. Tit. IV. Lib. II. vulgò Autos Acordados.*

5. Caussarum Regii Patronatus recursus primo in Regio Cameræ Tribunali expendi debent per viam Retentionis, et per Provisiones, quæ vocantur *per contentum Regiæ dignitatis*, in quo si locum non adesse Retentioni declaretur, in Supr. Castell. Senatu omnibus convenientibus Consiliariis, recursus violentiæ discutitur: *Sanct. XV. Tit. VI. Lib. I. vulgò Autos Acordados.*

6. Postremo animadvertere oportet, locum non esse violentiæ recursui, nisi in Actibus, qui vim definitivorum habent, non in mere interlocutoriis: *Leg. XXXVII. Tit. V. Lib. II. Novæ Recop.* Neque in causis Supr. Inquisitionis Tribunalis: ex *Sanct. IV. cap. 12. et 18. Tit. I. Lib. IV. vulgò Autos Acordados.* Neque in causis Tribunalis S. Cruciatæ: *Leg. VIII. Tit. X. Lib. I. Novæ Recop.* et præf. *Sanct. IV. cap. 18. ibid. (\*)*

## CAPUT SEXTUM.

## DE FORO ECCLESIASTICO, PROPRIISQUE EJUSDEM CAUSSIS.

I. Ecclesiastico Foro potissimum reservatæ sunt causæ omnes spirituales, vel spiritualia negotia spectantes: quumque de his agatur, omnes æque Clerici, ac laici ad Ecclesiasticum tribunal eas deferre jubentur. Earum porrò aliæ sunt Civiles, Criminales aliæ. In Civilium censu primo sunt causæ de Sacramentis, quas profecto pro eorundem substantia, quin ad Ecclesiasticum Judicem unum, et *privative*, ut dicitur spectent, in dubium revocare nullus potest. Quamobrem proprium, ac præcipuum unius Episcopi munus esse, quos idoneos noverit, ad sacerdotium promovere, ex his aliis ad excipiendas fidelium confessiones, alios verò ad animarum curam habendam designare, ceteraque id genus præstare, de quibus satis *Lib. I.* res est inter Catholicos extra omnem dubitationis aleam posita.